AD

VIRUM NOBILISSIMUM, (4)

Omnique Laude Digniſſimum,

CAROLUM DUNCOMBUM,

EQUITEM AURATUM,

Londini Seriſum,

CUM

Ingentem Pauperum numerum, qui in variis *Londini* Carceribus detinebantur, magnifica ſua munificentia libertati reſtitueret, ære illorum alieno liberaliter perſoluto,

ΠΡΟΣΦΩΝΗΤΙΚΟΝ.

Authore *GULIELMO HOGÆO.*

LONDINI:
Anno Domini. 1699.

1031:15

AD

VIRUM NOBILISSIMUM

CAROLUM DUNCOMBUM,

EQUITEM AURATUM,

Londini Serifum, &c.

Vir Illuſtriſſime,

CArmen hoc Προσφωνήτηρ, de tuis Laudibus concinnatum, & tibi dedicatum, benigne, oro & obſecro, accipere digneris. Tua Benignitas in miſeros, paupertate afflictos, & incarceratos, quos tu è Carceris Squalore eductos libertati reſtituiſti, eſt celebrari digniſſima. Idcirco hoc Carmen tibi libenter exaravi, quod quanquam longe infra tuam Dignitatem & Merita ſubſidit, illud tamen te, pro innata tibi Humanitate, boni conſulturum ſpero. Deus te Diu ſervet incolumem, &, ætatem

tibi concedat longævam, &, illa peracta, te in Æterna Cælorum palatia introducat, ut illic Æternis cum Chriſto gaudiis perfruaris.

Sum Servus tibi obſequentiſſimus,

Gulielmus Hogæus.

AD

AD

Virum Nobiliſſimum, Illuſtriſſimumque,

CAROLUM DUNCOMBUM,

EQUITEM AURATUM,

Londini Seriſum, &c.

O Mundi ſtupor atque Decus, quam ſydere fauſto
Edidit alma dies dulcem te in luminis auram!
Uzza antiqua ſui ſi laude ſuperbit *Jobi*,
Anglia ſe merito *Duncombi* nomine jactet.
Cæco oculi, claudoque pedes, & brachia manco
Sanctus *Jobus* erat, pueriſque parentis orbis
Præſtiterat ſeſe ille patrem, viduiſque Patronum:
Hæc, *Duucombe*, eadem tibi gloria competit ingens,
Hæc eadem altivolis laus te vehit inclyta pennis
Ad ſuperos, totumque ſonat diffuſa per Orbem,

Per

Per Terram, & vitrei ſpatioſa volumina ponti.
Atque hinc te procereſque colunt, & vulgus adorat :
Te quia ſupra hominum longe faſtigia virtus
Tollit, & æthereis altum caput inſerit aſtris.
Tu miſeris optata ſalus, tu portus egenis.
Tu multis gelidi raptis e faucibus Orci
Reſtituis, lætumque novas per membra vigorem,
Auraique refers vitalis amabile lumen.
Tu facis ut miſeri, reſerato carcere, læti
Ire redire queant, nullo terrore retenti,
Neve fame pereant, fædave in ſorde putreſcant.
Per te illis rediit *Libertas* optima rerum,
Quæ ſi abſit, quid vita aliud niſi mortis imago eſt ?
Tu facis, ut poſſint inopes ſperare ſalutem
Rurſus, & afflictis melius confidere rebus,
Queis modo vita fuit letho vel acerbior ipſo.
Quam bene divitiis ſors te cumulavit opimis,
Quem juvat humano generi prodeſſe, benigna

Cui miſeros relevare manu eſt jucunda voluptas ?
Quis furor, O dites avidi, quæ inſania mentis
Vos agitat, loculis qui ingentes æris acervos
Conditis, & ſcabra finitis rubigine carpi,
Tot miſeri, atque inopes oculis circum undique veſtris
Se quando objiciunt, & opem prece ſupplice poſcunt ?
Pauperis an lachrymis oculos, aureſque querelis
Abſtrahitis ? Nullumne movent fraterna dolorem
Tot mala, tanquam hominum non ſitis ſtirpe creati,
Sed potius duris genuiſſet cautibus horrens
Caucaſus, Hyrcanæque admorint ubera tigres ?
O igitur monitis aures advertite noſtris,
Divitiis opibuſque Viri, gaziſque Potentes,
Quotquot avaritiæ pervaſit pallida tabes.
Tanti exempla viri, meritis quem fama coronat
Laudibus, ante oculos attenti ponite veſtros,
Diſcite & hinc meliora ſequi, atque capeſſere rectum.
Duncombi ſpectate manus ad munera promptas

Danda

Danda inopi, ſpectate animi pia facta benigni,
Ut notet ora pudor, ſtimuloſque det æmula virtus,
Accendatque animos opus ad laudabile veſtros.
ſublevat ille inopes, conſolaturque dolentes,
Omnibus eſt commune bonum, ceu Phæbus ab alto
Diffundit lucemque ſuam vegetumque calorem,
Cuncta per innumeras hilarans animalia terras.
Hinc hominum cunctis ejus fit amabile nomen
Tangit & humanas cithara jucundius aures.
Quæ tibi digna ſatis voveam, *Duncombe*, tuorum
Gloria magna atvum, *Terræ* lux clara *Britannæ*,
Præſidium miſeris, tutor communis egenis.
Cujus tantum alios inter præclara *Seriſos*
Tollit in alta Caput fama & venerable Nomen
Quantum inter medios quercus ſublimis acanthos?
Floreat uſque tuum per poſtera ſecula nomen,
Floreat altus honos, & vivida gloria duret,
Dum tenebræ lucem fugiunt, lux alma tenebras.
Nec vitam a tellure tuam cita fata revellant,
Neſtoreos tranſcende dies, & corpore poſtquam
Exiit, Angelicæ pennis ſubvecta catervæ
Mens generoſa petat ſuperi templa aurea Regni,
Gaudia ut Æthereæ carpas in ſæcula vitæ.

Libenter Obtulit,

GULIELMUS HOGÆUS.

FINIS.